Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Appendice

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

De propositionum Censuris. 126.

Apertis locis Theologicis, ex quibus argumenta pro fide confirmandâ moribusque dirigendis promenda sunt, id duntaxat superesse videtur, ut quibus passim censuris ab Ecclesiâ, seu Summo Pontifice propositiones iisdem sive fidei, sive morum regulis oppositæ, cùm ~~damnantur~~ eas damnat, afficiantur, exponamus.

Octo proinde passim recensentur damnabilium propositionum censuræ. Alia enim est propositio hæretica, alia erronea, alia scandalosa, alia blasphema, alia piarum aurium offensiva, alia temeraria, alia seditiosa, alia denique suspecta. Eas ergo singulatim expendere animus est.

De propositione hæreticâ.

Propositio hæretica est ea, quæ vel expresso Dei verbo, vel expressæ definitioni Ecclesiæ adversatur. 127.

Dicitur 1º adversari Dei verbo, quia Dei verbum, seu Scriptura et Traditio continent omnes articulos qui ad fidem aut mores spectant: non enim, ut alibi jam dictum, alii sunt fidei christianæ fontes.

Dicitur 2º adversari expresso Dei verbo, hoc est veritati, quæ expressè Dei verbo continetur: ut sunt Christi mors, sepultura, resurrectio. Hinc patet hanc propositionem, quæ inter quinque

178. Jansenii Ypensis ab Innocentio X. Papâ damnatas numerô 2.do legitur: Interiori gratiâ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur, meritò tanquam hæresim fuisse proscriptam, contradictoriè ~~qu~~ nimirùm opponitur huic expressæ Sacrarum Litterarum sententiæ: Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Patet iterum hæc alia: Homo non tenetur amare Deum, neque in principiô neque in decursu vitæ suæ mortalis, ipse quoque formaliter hæresim, quippe quæ contradictoria sit expressô Dei verbo: Diliges Dominum Deum tuum ex totô corde tuô, ac proinde tanquam formaliter hæresis meritò damnata fuit ab Alexandrô VIII. Papâ.

Dicitur 3.tio adversari expressô Dei verbo, aut expressæ definitioni Ecclesiæ. Siquidem propositio, quæ implicitè tantùm continetur Dei verbô, postquam Ecclesia declaravit illam eo revera contineri, fide divinâ expressè credi debet ab iis, quibus sufficienter innotuit latum ab Ecclesiâ judicium: propter hanc rationem ista propositio, Baptismus, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non est verus Baptismus, est hæretica, quamvis olim, seu antequam Ecclesia in Concilio plenario, ut loquitur Augustinus, de eâ sententiam suam expressè tulisset, nequaquam esset hæretica; nec enim tunc omnibus Ecclesiis constabat, contrariam pro-

positionem contineri, vel etiam implicitè, in 179
Verbô Dei sive Scriptô sive traditô.

De propositione erronea. 128.

Propositio erronea strictè sumpta est ea, quæ negat veritatem, quæ ex communi Ecclesiæ consensu judicatur esse mediatè revelata, quamvis Ecclesia id nondum expressè definierit.

Differt ab hæresi, quia hæc negat veritatem, tanquam vel immediatè, vel mediatè saltem à Deo revelatam per solemnem Ecclesiæ definitionem agnitam; hæc propositio erronea, ut pote in qua à solemni Ecclesiæ definitione abstrahitur.

Differt quoque à cæteris non recensendis damnabilibus propositionibus, prout ex earum expositione patebit. Hinc patet, opinionem S. Cypriani de invaliditate Baptismatis ab hæreticis collati, erroneam duntaxat fuisse, antequam Ecclesia definiisset, eam repugnare veritati verbô Dei non scriptô sou traditione contentæ, quæ docebat, internas dispositiones baptizantis non nocere validitati Baptismi. Verùm post Ecclesiæ definitionem est formaliter hæretica, ut jam superiùs dictum est.

De propositione scandalosâ. 129.

Propositio scandalosa strictè sumpta dicitur ea, quæ per se nata est parere spiritualem proximi ruinam, licet in eâ nec error, nec hæresis apertè notari possint. Dicitur 1.° parere spiritualem proximi ruinam, hoc enim fert ipsum scan-

180. dali nomen, quod quidem secundùm Grammaticos aliud non significat, quàm offendiculum, quod ante pedes alicujus positum, est causa cur cadat.

Dicitur 2do. per se nata parere spiritualem proximi ruinam, quia per accidens duntaxat est, si hujusmodi ruinam proximi non pariat, nec ab ipsâ, sed à proximo, qui illam recipit, seu ideius subjectum est, ratio peti debet, cur talis ruina non sequatur.

Adduntur 3tio. hæc verba: Licet in eâ nec hæresis, nec error apertè notari possint; per quæ quidem verba propositio scandalosa strictè sumpta, seu prout specialem censuræ notam continet, differt à propositionibus hæreticâ et erroneâ: in his enim hæresis et error apertè notari possunt.

In exemplum propositionis scandalosæ referri potest ista: Ex auriculari confessione gravissima sequuntur incommoda. Item hæc alia: Sancti Mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum; quia per se inclinat animas, quæ sibi videntur esse transformatæ, ad dimittendas virtutum exercitationes.

130. De propositione Blasphema.

Propositio blasphema est ea, quæ aliquod vel in Deum, vel in Sanctos convitium continet.

Differt ab aliis propositionibus, quibus specifica aliqua alia censura debetur; neque enim aliæ propositiones illæ continent convicium aut in Deum aut in Sanctos, hoc est, nec Deo, nec Sanctis aliquid tribuunt, quod eos dedeceat, aut ab iis detrahunt per-

3

fectionem aliquam, quæ ipsis debetur. Itaque 130.
patet hanc propositionem ab Innocentio Papâ XII. proscriptam: Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes, esse non solùm eroneam, sed etiam blasphemam: scilicet multùm detrahit ex perfectione, quæ Christo debetur, seu est ipsi multùm injuriosa.

Patet etiam propter eandem rationem, hanc aliam propositionem, quæ primô loco ponitur inter quinque Jansenii ab Innocentio Papâ X. damnatas: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundùm præsentes, quos habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant, non solùm esse temerariam et hæreticam, sed etiam blasphemam; nempe Deum reddit injustum legislatorem, qui ea præcipiat, quæ volentibus, et conantibus sunt impossibilia.

De propositionibus malè sonante, et piarum aurium offensivâ. 131.

Quamvis propositio malè sonans ad piarum aurium offensivam referri videatur, nam quod malè sonat semper aures offendit, tamen aliquod inter utramque discrimen intercedere videtur.

Igitur propositio malè ~~sat~~ sonans est ea, quæ licet duplicem habeat sensum, unum bonum, et alium malum, absolutè tamen et sine distinctione profertur.

Differt ab hæretica et eronea, cùm dicatur habere duplicem sensum unum bonum

192. et unum malum; propositiones autem haeretica et erronea, nullum habent sensum bonum, saltem qui sit obvius, hoc est, quem verba, ex quibus constant, prae se ferant.

Differt etiam à propositionibus, ex quibus pravus sensus ~~eny~~ excluditur, per explicationem ad restrictionem terminorum, propositio enim malè sonans est ea, quae, ut dictum, absolutè, et sine distinctione profertur.

Idius exemplum peti potest ab hac propositione Scytharum Monachorum: Unus de Trinitate crucifixus est, quae Hormisdae Pontifici Romano velut malè sonans visa fuit, eo quod etiam per eam intelligi posse videbatur, Unum de Trinitate in Substantiâ Deitatis crucifixum fuisse, quam propositionem jam longè prius, annô videlicet 483. in Petrô Graphaeô seu Fullone virô Eutychianô damnaverat Felix Papa III. At ubi abeâ pravus, qui eidem affingi poterat, sensus per explicationem ad terminorum restrictionem exclusus fuit, ita ut intelligeretur, quod unus de trinitate in Substantiâ carnis, et nostra mortalitatis crucifixus fuisset, tum velut Catholicam probavit Joannes II. fatemur enim Deum pro nobis passum, et crucifixum fuisse, sed, ut dictum, in Substantiâ carnis, et nostra mortalitatis.

132. Propositio autem piarum aurium offensiva dicitur ea, quae aliquid absonum, et subjecto de quo fertur, indignum continet.

Dicitur 1°. offensiva aurium, non quidem propter sensum, quem à parte rei

et in se continet, sed propter modum, quo ille sensus exprimitur. 183

Dicitur 2do. offensiva aurium non quarumcunque, sed piarum: neque enim, ut olim in Pharisaeis accidit, si impii aliquâ veritate offendantur, ob id propositio, quae illam veritatem continet, dici debet per se aurium offensiva.

Neque etiam per se piarum aurium offensiva dici debet ea, quae pios quidem, sed indoctos offendit: siquidem ad ferendum judicium de aliquâ propositione consuli non debet promiscuum vulgus licèt pietatem prae se ferat, sed consuli debent viri, qui cum pietate doctrinam conjunxerunt. Scilicet non rarò contingit, ut propositio, quae piae plebis aures offendit, viros peritos ac sapientes non modò non offendat, sed etiam nec moveat. Id praesertim videre est in propositionibus, quae enuntiant abusus aut superstitiones, quae ab hominibus, piis quidem, sed parùm peritis nonnunquam admittuntur in quarumdam imaginum, vel quorumdam Sanctorum cultu.

Dicitur 3tio nonnihil continere absonum, seu in subjectum, de quo profertur, non satis honorificum; ex quo patet, propositionem ~~aliquam~~ piarum aurium offensivam non tam peccare in sensu, quàm in modô, quo ille sensus exprimitur: hincque colligitur, cavendum esse Theologo, cùm de partu Beatae Mariae Virginis loquitur, ne circumstantias explicet, quae exprimi non possunt, nisi verbis indecentibus.

184.
133.

De propositione temerariâ.

Propositio temeraria est ea, quæ in materiâ fidei aut morum profertur absque auctoritate aut Scripturæ, aut unanimis Traditionis, aut saltem aliquorum Patrum: et à fortiori si major Episcoporum et Theologorum pars judicet, eam vel Scripturæ, vel Traditioni, vel celebrioribus Patribus adversari.

Idenim temerarium dicitur, quod absque fundamentô asseritur. Atqui propositio, quæ in materia fidei aut morum profertur absque auctoritate vel Scripturæ, vel Traditionis, aut saltem aliquorum Patrum, sine fundamentô asseritur et profertur, cùm, ut jam alibi sæpiùs dictum, non aliud sit fundamentum fidei ac morum, quàm Scriptura, Traditio, et Patres.

Dinccodigitur 1º. Hoc Casuistarum quorumdam axioma: Honor potior est, quàm vita, non solum esse scandalosum et perniciosum, sed etiam temerarium: siquidem nullô aut Scripturæ, aut Traditionis, aut Patrum testimoniô nititur.

Colligitur 2do. plures ex propositionibus, quæ circa cultum Deo debitum, charitatem proximo exhibendam, homicidium vitandum, à quibusdam recentioribus sunt prolatæ, esse temerarias: nempe ne minimô quidem aut Scripturæ, aut Traditionis, aut Patrum testimoniô nituntur, sed levissimis duntaxat ratiunculis. Ejusmodi autem sunt eæ omnes, quas Alexander Papa VIII. et Innocentius XI. publicis decretis damnarûnt.

De propositione Seditiosâ. 133. 134.

Propositio seditiosa est ea, quæ per se apta est parere seditionem, prout ipsa nominis Etymologia declarat.

Contendunt aliqui, propositionem seditiosam, nisi aliunde opponatur doctrinæ fidei vel morum, vel disciplinæ, non videri inter censuras Theologicas comprehendi debere, licèt ab Ecclesiâ prohiberi possit. Volunt alii, eo sensu, idam inter Theologicas notas comprehendi, quòd ad scandalosam propositionem reducatur: ajunt enim, seditio, ad quam illa propositio movet, contingere non potest absque spirituali multorum ruinâ, et plurium peccatorum lethalium commissione.

De propositionibus, suspectâ de hæresi, sapiente hæresim, et hæresi proximâ. 135.

Propositio suspecta de hæresi est ea quæ multâ cum probabilitate judicatur hæretica.

1.º Judicatur hæretica, hoc est, contradictoriè opposita veritati, quæ vel explicitè et immediatè revelata est, aut si implicitè tantùm et mediatè, ab Ecclesiâ solemni judiciò declarata fuit revelata.

2.do Judicatur hæretica cum probabilitate, id est, ex hæreticâ infertur per argumenta, quæ licèt certitudinem moralem generent, non excludunt tamen omne dubium: unde propositio de qua est quæstio, non potest dici absolutè hæretica, sed tantùm suspecta de hæresi, quia remanere videtur de ea dubium.

105. 3tio Judicatur haeretica cum multâ probabilitate: neque enim aliqua propositio, propter levem probabilitatem, cum fundamento adduci debet in haeresis suspicionem: aequitati namque repugnat, ut propter leve fundamentum tam gravis censura aliqui propositioni inuratur: gravis autem fundamenti nomine hic intelliguntur rationes petitae ex Scriptura, et traditione, quae non unum et alterum tantum Doctorem ad assensum moveant, sed ingentem Magistrorum numerum, paucis exceptis, determinent.

Propositio haeresim sapiens est ea, quae multo majori cum probabilitate, quam suspecta de haeresi, judicatur haeretica.

136. Probabilitas quippe gradus quosdam habet, seu major est, vel minor, pro majori vel minori pondere rationum, quibus nititur: igitur, quando magna est probabilitas, quod aliqua propositio sit haeretica, tum in se, tum ratione Scriptoris, ut v.g. aliis haeretici, considerata, tunc constituitur propositio suspecta de haeresi: quando autem est maxima probabilitas, seu vehemens suspicio, eam ex motivis mox recensitis aliisque esse haeresim, tunc constituitur propositio sapiens haeresim, quia ea, quae per gustum explorammus, nobis magis certa videntur, quam ea, quae per solum intellectum suspicantem attingimus. Hinc patet idem fundamentum, sed sumptum secundum diversos gradus, constituere propositionem aut quae de haeresi suspecta sit, aut quae sapiat haeresim.

Propositio hæresi proxima est ea, 137.
quam major et Sanior Doctorum pars ex
Scripturâ et Traditione judicat esse hæreti-
cam, licèt nullus eorum audeat eam dice-
re simpliciter hæreticam, quòd aliqui non
infimi nominis Theologi contendant, ipsi
censuram hujusmodi inuri non debere.

Inde patet, propositionem hæresi
proximam idem omninò esse cum propo-
sitionibus suspectâ de hæresi, et sapien-
te hæresim: non enim aliud dicit, quàm
summam probabilitatem, quòd reverâ
sit hæretica.

His propositionum censuris solent 138.
summi Pontifices plerumque in suis, qui-
bus eæ propositiones damnantur, decretis
exprimere adverbium istud respectivè, at-
que dicere, has et illas propositiones e.g.
esse respectivè hæreticas, erroneas, teme-
rarias, scandalosas, perniciosas, blasphe-
mas &c. Quo loquendi modô significant, aliquam ex recensitis notis affice-
re unamquamquam ex propositionibus,
quas damnant, disjunctivè, ita ut nulla
sit, in quam non cadat una saltem ex
notis, quæ in condemnationis decretô
referuntur. Quod intelligendum est,
cùm videlicet priùs recensitis in decretô
damnabilibus propositionibus, memoratæ
censuræ cumulatim illis affiguntur.
Solent enim interdum Pontifices cuique,
illarum, quas damnant, propositioni
suam affigere censuram, prout præstitit
Innocentius X. cùm petentibus et ro-

6

188. gantibus Gallia Antistibus, quinque Jansenii Iprensis propositiones damnavit.

Cæterum monendi sunt Theologi, ut in refutandis aliorum sibi contrariorum Theologorum opinionibus et sententiis, super quibus nullum adhuc judicium Ecclesia protulit, ab immitibus notis et censuris omninò abstineant, ut pote quibus nihil præter summam sibi accersunt invidiam et odium. Ab injuriosis contentionibus Doctores seu Scholastici, aut alii quicunque, in posterum abstineant, inquit Innocentius Papa XI.* et ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censurâ et notâ, necnon à quibusvis convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ, super iisdem propositionibus judicium proferatur.

*decretô, quo 65. propositiones ad moram spectantes proscripsit.

Finis Tomi 1mi
16ta Augusti
Horâ 11ma matutinâ
An. 1745.